

tem pristinam tepens aqua revocavit; ita nonnunquam, qui inter flagellorum duritiam manent incorrecti, dulci sunt admonitione admonendi; nam plerumque, quos cruciamenta non corrigit, ab iniquis actibus lenia blandimenta compescunt. S. GRÆG. in *Past.* c. XXXVIII.

Sicut calor naturalis vestimenta illi imposita calefacit, et vestimenta vicissim calorem naturalem fovent, et perficiunt; sic ignis amoris divini ad proximum amandum cor accendit, et ipse amor proximi hunc postea ignem fovet, atque adauget. STAPLET. *Dom. 12 pent.* the. IV.

Sicut qui de fonte bibit, aut ex sole videt, non fonti aut soli quidquam, sed sibi ipsi multum contulit; ita amor proximi non tam ipsi proximo, quam nobis est utilis. *Idem, Dom. 12 post Pent.* them. III.

**NECESSITAS.** — Sicut, si frater noster vulnus habet in corpore, quod occultum velit, eo quod secari timeat, crudeles censeremur, si sileremus, misericordes vero, si indicaremus; ita multo magis misericordes censerī debemus, si vulnus mentis, ne in corde terminus putrescat, aperiamus. S. AUG. de *Comm. vita.*

Sicut in edificio lapis lapidem portat, et, si onus detractaret, omnia corruerent; ita in spirituali edificio Ecclesie, aut Communionis, damnus non leve timendum erit, si illius membra se mutuo per charitatem portare renuant. S. GRÆG. hom. III, l. II in *Ex.*

Sicut qui palatium vult construere, primo studet supra petram vel stabile solum fundamenta locare, et postea demum reliquas partes superstruit; ita qui in quacumque congregatione absque detrimento et scandalo vivere cupit, prius veræ charitatis fundamentum jaciāt oportet. BERGUS in *loc. simul. v. dilectio.*

Sicut causa aquæ influentis in navem est vel tabularum hiatus, aut non satis requirimus, ita et causa interitus communitatum plerumque est non satis stricta subditorum cum suo capite et inter semet per vinculum charitatis connexio. RODRIG. p. I, tr. IV, c. II.

**DIGNITAS.** — Sicut, licet aureæ sunt vestes, et calcemata aurea, aliud tamen requirimus, ut Regem agnoscamus; purpuram autem et diadema ubi primum intuemur, jam regie majestatis nullum aliud signum expectamus; ita sane, cui diadema charitatis incumbit, jam nihil obstat, quominus verus

Christi discipulus existimari possit; in hoc enim cognoscent, quod discipuli mei estis, si dilexeritis invicem, inquit Christus. S. CHRYS. in XXXII in *I Cor.*

#### ALLE SIMILITUDINES.

Sicut nos ipsos una cum omnibus defectibus nostris amare consuevimus, quia tametsi iracundi, ignorantes, deformes, pauperes, et infirmi simus, propter hoc tamen proprium erga nos ipsos amorem non amittimus; eodem quoque modo justum est, ut proximis nostros cum omnibus defectibus eorum diligamus, solum in illis nature similitudinem et relationem, nec non divini precepti reverentiam et observantiam considerantes. MANSI, tr. V, disc. IX, n. 7.

Sicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Hinc, 1. Sicut unum membrum timet separari ab alio; sic nihil debet tam formidare Christianus, quam separari a Christi corpore. 2. Sicut, si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; ita quisvis homo proximo suo compati debet. 3. Sicut membra infirmiora abundantius honorantur; sic et nos non debemus eos despiciere, qui infirmi videntur. Instruimur quoque in hoc, quod, si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, sive, si gloriatur unum membrum, gaudet cætera; sic fideles debent gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. 4. Sicut membra ad invicem servant; nam oculus non videt pro se solo, sed pro toto corpore; auris non sibi soli audit, nec pes sibi soli ambulat, sed toti corpori; eodem modo, ut debito reciproce dilectionis, quo obstringimur, perfecte satisfaciamus, bona nostra tam spiritualia, quam temporalia in beneficium commune totius communitatis, in qua vivimus, communicare debemus. Ad quod efficacius persuadendum, idem B. Laurentius per eandem corporis similitudinem aliud quoddam motivum his verbis adducit: Eodem modo provocamur, cum videmus, quod cibum, quem os recipit, cum membris communicat; ita et fideles facere debent. 5. Sicut, quando pars una corporis offenditur ab alia, nequaquam de parte offendentē vindictam sumit, id quod B. Laurentius

Justinianus optime hisce verbis notat: Similiter, cum unum membrum ab alio leditur, non se vindicat, sic debet esse inter fideles, nulli malum pro malo reddentes; sic enim Apostolus nos monet. Et iterum: «Charitate fraternitatis invicem diligentes,» et paulo post: «Benedicite persequentibus vos, et nolite maledicere.» 6. Sicut unum membrum lioni se exponit pro alio, sic nos agere debemus, imitantes Dominum Jesum Christum, qui passioni se exposuit, ietum, quem genus humanum meruerat, super se excipiens. 7. Sicut unum membrum reputat sibi fieri, quod fit alteri, sive bonum sive malum; sic nos, quod aliis irrogatur, nobis fieri existimare debemus. Unde ipse Dominus Jesus, Ecclesie Caput, dicit: «Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.» 8. Sicut unum membrum non invidet alio membro, licet non habeat idem officium, non omnia namque eundem actum habent membra, nec tamen sibi invicem invident; sic nec debet aliquis invidere proximo suo habenti gratiam, quam ipse non habet. *Ib.* disc. v, n. 10.

**NECESSITAS.** — Sicut spiritus humanus ad hoc, ut vitam det corpori, requirit conjunctionem membrorum, qui si membra sunt divisa, scilicet caput seorsum, et manus et pedes, et sic de aliis, spiritus recedit, nec remanet cum aliquo membro diviso; ita etiam est de Spiritu Sancto. Unde legimus in Ps. cxxxii. «Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum! Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, et vitam usque in seculum.» S. VIN. FERR. ser. de *Pent.*

Sicut avis duabus alis potest volare in cælum, quare? Quia nec sola dilectio Dei sine dilectione proximi, nec sola dilectio proximi sine dilectione Dei valet ad æternam beatitudinem.

#### MOTIVA.

*Exemplum Christi,* qui sic dilexit quemvis hominem, ut pro eo sanguinem et animam poneret. S. LAUR. JUST. de *Lign. Vit.* c. xv.

*Exemplum Angelorum,* de quo S. Laur. Just. ait: Sollicitudo quoque Angelica custodiæ nos provocat ad amandum proximum. Non est ab homine despiciendus homo, qui adeo Angelis carus est.

*Exemplum Sanctorum,* de quibus idem

TOMUS II.

Sanctus ait: Tanta vis in illa coelesti pace illos satiat, ut quod in se quisque non accipit, hoc se accepisse in altero exultat. *Ibid.* c. vii.

*Mandatum Christi,* et quidem, cum valediceret, datum. JOAN. xv. Mandatum novum de vobis etc., in hoc cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

*Fraternitas;* nam fratres sumus non tantum natura, sed etiam gratia, teste Christo Matth. XXIII, et patrem nolite vocare super terram; unus est enim Pater vester, qui in cælis est; atqui, teste S. Ambrosio, major est fraternitas Christi quam sanguinis; sanguinis enim fraternitas similitudinem corporis refert, Christi autem fraternitas unitatem cordis animeque demonstrat, sicut scriptum est, multitudinis credentium erat cor unum, et anima una. S. AMBR. ser. XX de *Temp.*

*Humanitas;* nam uti Lactantius advertit, conservanda est humanitas, si homines dici velimus; id autem ipsum, conservare humanitatem, quid est aliud, quam diligere hominem, quia homo sit, et idem, quod nos sumus? LACTANTIUS. l. VI *div. just.* c. xx.

*Necessitas;* nam sicut anima non vivificat membra, nisi sibi invicem copulata; ita cum nos omnes unum corpus simus in Christo, teste Apost. I, Corint. x. Spiritus S. non vivificabit nos, nisi per charitatem uniti simus.

*Jucunditas;* jucundum enim est, fratres habitare in unum.

*Securitas.* Quid enim foris conturbare aut contristare poterit, si intus bene est, et fraternitas pace gaudetis? inquit recte S. Bernardus. Nempe frater, qui juvatur a fratre, quasi civitas firma, et funicularis triplex difficulter rumpitur, teste Salomone; e contrario vero, multitudo inordinata, victima potius est, quam pugna, teste Vegetio, de re militari. S. BERN. s. XXIX in *Cent.*; PROV. x; ECCLES. IV.

*Utilitas;* tum quia Charitas, que proximo exhibemus obsequia, non alia, quam si sibi facta essent, remuneratur; tum quia ipse promisit, si duo consenserint super unum, eos, quodcumque petierint, impetraturos; propter quam utilitatem charitatis, recte commune proverbium ait: Concordia res parvæ crescit, discordia etiam maximæ dilabuntur. Hinc Tertullianus Martyres mediante impenetrabili hac unionis et concordie lorica adversus infernum fortes, imo insuperabiles fuisse notat: Inveniat vos uni-

tos et concordia armatos, quia pax vestra bellum illi est. *TERUL. ad Marc. 1.*

Similiter S. Gregorius scribit: Electorum multitudinem eo magis maligni Spiritus pertimescunt, quo eos per charitatis concordiam munitos contra et conglobatos aspiciunt. *S. GREG. hom. VIII in Ezech.*

#### MEDIA.

*Amor Dei*, quæcumque enim sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; unde cum nos per amorem conjuncti cum uno tertio, scilicet Deo, fuerimus, facile etiam inter nos per charitatem conjungemur. Hinc S. Gregorius: Per amorem Dei, inquit, amor proximi gignitur, et per amorem proximi amor Dei nutritur; nam qui Deum amare negligit, profecto proximum diligere nescit. *S. GREG. X Mor.*

Quod ipsum pulchra similitudine declarat S. Dorotheus: Quemadmodum, inquit, lineæ duæ a circumferentia ad centrum ductæ, quo centro viciniore, eo etiam sibi invicem sunt viciniore; ita quo magis Deum appetimus (qui nostrum est centrum) eo etiam nobis invicem amoris affectu simus propiores. *S. DOROT. disc. v de non jud.*

*In omnibus hominibus Christum intueri*; quam ob causam Dominus, forte dixit: Quidquid fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis, *Coll. XVI, c. VI.*

Quod ipsum medium etiam suavit S. Cyprianus: Quid potuit nobis majus Christus edicere? Quomodo potuit magis justitiæ ac misericordiæ operam provocare, quam quod præstari id dixit sibi, quidquid egenti præstatur etc. ut, qui respectu fratris in Ecclesia non movetur, vel Christi contemplatione moveatur? *S. CYPR. tract. de Eleem.*

*Cupiditatem omnium terrenarum rerum depone*, quod Abbas Joseph suavit, et S. Jacobus dicens: Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiscentiis vestris.

*Obedientiam studium*; nam quæcumque sunt eadem cum uno tertio, etiam sunt eadem inter se; et, ut Rodriguez ait: Obedientia est velut quoddam hostiorum complanans omnia et æquans, magnamque introducens in res omnes unionem et æqualitatem. *RODRIG. p. I, tr. v, c. II.*

*Considerare frequenter damna ex charitatis violatione provenientia*, quæ S. Bernardus eleganter more suo in hunc modum descri-

bit: Longe, quæso, a vobis facite semper hoc abominabile malum, vos, qui experti estis, et quotidie experimini, quam bonum et quam jucundum sit, habitare fratres in unum; si tamen in unum, et non in scandalum, alioqui nec jucundum plane, nec bonum, sed pessimum ac molestissimum. Væ autem homini illi, per quem unitatis vinculum turbatur, judicium profecto portabit, quicumque est ille. Ante mihi contingat mori, quam audire in vobis quempiam juste clamitantem: Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Nonne presentis congregationis Filii omnes vos estis? Singuli alterutrum fratres? quid ergo e foris vos conturbare aut contristare possit, si intus bene estis, et fraterna pace gaudetis? Quam ob rem emulamini charismata meliora, ut homines vos præbeatis æmulatores, charisma peroptimum charitas est. Hoc igitur est, quod dico. Pax vobis; a vobis sit, et omne, quod extrinsecus mihi videtur, non terret, quia non nocet. Nam e contrario, quidquid foris blanditur, nulla est profecto consolatio, si intus (quod absit) seminarium discordiæ germinaverit. *S. BERN. I. XXIX in Cant.*

#### ASCETICA.

Ante omnia conitendum est Ascetæ, ut cognoscat modum diligendi proximum sicut seipsum; quorum quidem tres S. Th. assignat.

« Primus est, quantum ad finem dilectionis, ut nos proximum diligamus propter Deum. » Primarius enim finis propter quem proximum amare debemus, est acquisitio æternæ salutis, et hanc eandem considerationem etiam B. Laurentius Justinianus adducit, nam verba assumpti thematis, scilicet: « Diliges proximum tuum sicut te ipsum, considerans dicit: Id fieri posse ut illum diligas ad gratiam, et gloriam in futuro, vel in quem te ipsum diligis, id est, in Deum illum diligas, quisquis enim diligit proximum, hoc cum illo debet agere, ut etiam toto corde et tota anima diligat Deum. *S. THOM. c. XIII ad Rom.*

« Secundus se tenet quoad modum dilectionis; ut scilicet, sicut aliquis se ipsum diligit, quasi sibi volens bonum, ita aliquis proximum diligat, quasi ei bona volens. » Qui autem diligit proximum ad hoc solum, ut ejus utilitate et delectatione potiatur, non

vult bonum proximo, sed ex proximo vult sibi bonum, quo quidem modo homo amare dicitur res irrationales, puta vinum et aquam, ut eis utatur. Quando enim nosmet ipsos amamus, bonum quod nobis desideramus, est propter nostram utilitatem et profectum, ita quoque si cum eadem proportionem proximum nostrum amare velimus, bonum quoque illi desiderare vel procurare debemus, idque in beneficium ipsorum, non vero nostrum.

« Tertius est quoad effectum dilectionis, ut scilicet aliquis necessitati proximi subveniat, sicut sibi, et quod nihil illicitum propter amorem proximi committat, sicut nec propter suum amorem. » S. Jacobus nos in hujus præcepti observatione mendacii redarguit et convincit, dum ad subveniendum proximorum necessitatibus viscera, seu potius manus nostras non aperimus et extendimus, dum ait: « Si frater et soror nudi sint, et indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis vestrum illis: Ite in pace, et calefacimini, et saturamini, non dederitis autem ea, quæ necessaria sunt corpori, quid proderit? »

Nosse pariter debet, *cur proximus amandus sit*, id quod Hugo Cardinalis indicat, dum super verba illa: « Qui non diligit fratrem suum quem videt, quomodo etc. » ita scribit: Frater enim tuus imago Dei est. Si ergo non diligis imaginem Dei, nec eum, cujus est imago, diligis; ergo mendax es, si te Deum diligere dicis, et fratrem odis. Qui non diligit fratrem, quem videt, non diligit imaginem Dei, et qui non diligit imaginem Dei, Deum non cognoscit, et qui Deum non cognoscit, ipsum non diligit. Indubitata propositio est, quod Deum nemo vidit unquam, et ideo nos eum in proximo velut in ejus effigie et imagine speculari et contemplari voluit, dispositoque, ut, in probationem et contestationem amoris nostri erga ipsum, fratrem, qui oculos nostros versatur, diligamus. Sicut enim, licet ligno pro ignis alimento utaris, lapidem quoque in domus fundamenta conjicias, atamen postquam per adhibitam artificis industriam ex utroque facta est imago et effigies crucifixi Salvatoris, e vestigio illud adoras; ita quoque licet homo e luto formatus, defectibus multis obnoxius, tibi ingratum existat, a te tamen ipse diligendus est, vel quia Deus id ipsum præcepit, vel quia Deo carus est et acceptus, ideoque ab eodem ad æternam gloriam desti-

natus, vel quia in se defert imaginem communis Creatoris. Unde S. Ambrosius ait: Nos unum esse præcepit, et suæ naturæ unitatisque similitudinem in nos gratiæ adoptione transfudit, dicens: Pater, sicut ego et tu unum sumus, ita et isti in nobis unum sint. *HUG. CAR. in c. IV. Joan.*

Nosse debet, *cur Christus mandatum de dilectione novum dixerit*. Qua de re Origenes quaerit, qua ratione Dominus noster præceptum istud novum appellare potuerit, cum (utpote ipsimet naturæ hominis impressum) adeo fuerit antiquum, imo cum idem divinus Magister dixerit: « Hoc est maximum et primum mandatum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc. Secundum simile huic: Diliges proximum tuum, » et ideo inquit Origenes, quomodo mandatum hoc novum dici potuit, cum utique sciret, olim esse mandatum in lege? Mox vero respondet dicens: Sed quoniam charitas nunquam cadit, nec mandatum charitatis veterascit; hoc autem quod nunquam veterascit, semper novum esse præntiam, semper enim conservantes et custodientes in se charitatis mandatum novos reddidit spiritu. S. Thom. tunc adducit rationes, ob quas præceptum istud mandatum novum glorioso titulo appellat, tametsi etiam dudum antea in veteri Testamento statutum fuerit. Primo, propter effectum innovationis, quem efficit; Ad Coloss. III. *Expoliantes vos veterem hominem, et induentes novum.* Hæc novitas est per charitatem, ad quam exhortatur Christus. Secundo, novum propter causam, quæ hoc effecit, quia est a novo spiritu. Est enim duplex spiritus, vetus, et novus; vetus spiritus servitutis, novus spiritus amoris; ille generat servos, hic filios adoptionis. *Rom. VIII. Non accepistis spiritum servitutis.* Hic spiritus inflammat ad charitatem, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. Tertio, effectum quem constituit, scilicet novum Testamentum, nam brevis differentia veteris et novi Testamenti est timor et amor. *ONIGÈRES, hom. IX in Num.*

Nosse debet, *quomodo Christus hoc præceptum suum, sibi quæ proprium dixerit*: quo de dubio sic Josephus Mansi discurret: Experientia quotidiana in curia Romana vel maxime demonstrat, quod is, qui magna a Principe beneficia quotidie accipit, in singulis astimationis veteræque gratitudinis erga illum, ejusdem Principis effigiem in no-

bilibus conelavibus publice expositam habeat, aulicos quoque ejusdem honoret, illum veneratione et obedientia debita prose- quatur, imo genium et nutus ejus observet. Eodem quoque modo manifestum in nobis indicium erit, quanti Deum nostrum aesti- memus et diligamus, si ex ipsius amore per- magni aestimemus et honoremus proximum, qui velut imago et similitudo ejus est; sic- que hoc præceptum, quod ipse proprium suum præceptum appellat: «Hoc est præcep- tum meum, ut diligatis invicem», invio- labiliter observemus. MANSI, tr. X, disc. 11, n. 17.

Ita S. Paulus dilexit proximum, quemad- modum ipsemet testatus est: «Tristitiam mihi magna est, et continuus dolor cordi meo; optabam enim anathema esse a Christo pro fratribus meis. Et quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?» ROM. IX, 3. 2. COR. XI, 29.

Nosse debet summam perfectionem hujus dilectionis, quæ quidem in perfectissima unione consistit. Pro qua intelligenda no- tandum est ex Ludovico de Ponte, quinque unionis gradus posse assignari. I. Est intel- lectus et iudicium, ut scilicet in iisdem veri- tatibus credendis et præceptis admittendis conveniamus, quemadmodum S. Paulus hortatus est Corinthios dicens: «Auscuro vos, Fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. Secundus gradus est voluntatum et cordium, sicut olim multitudinis credentium cor unum erat et anima una, ad quem gradum hortatus est S. Paulus ad Philippenses dicens: «Si quæ consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si quæ societas spiritus, si quæ viscera miserationis, impleto gaudium meum ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, nec per inanem gloriam facientes, non quæ sua sunt singuli conside- rantes, sed quæ aliorum.» Tertius gradus est unionis cum ipso Deo, ut unio nostra sit divina, et non humana, quem gradum petebat Christus illis verbis: «Sicut, Pater, es in me, et ego in te, et ipsi in nobis unum sint,» id est, ut sicut ego et tu eandem es- sentiam habemus, summam unionem in sensu, voluntate et executione, ita et ipsi in nobis eandem habeant per voluntatis suæ cum nostra concordiam. Quartus gradus est

unionis, ratione carnis ejusdem cum divi- nitate unitæ in SS. Sacramento altaris, de qua locutus est S. Paulus dicens: «Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.» Quintus tandem gradus est unionis, propter eundem sta- tum perfectionis, de qua præcipue Christus locutus est, dicens: «Ego, Pater, sum in eis, sicut in me, ut sint consummati in unum,» id est, ut omnes hos quinque gradus ad- jungant cum magna constantia et perpetui- tate, et ad similitudinem perfectissimæ, *unionis, quam divinæ persone inter se habent.*

Et hæc perfectio præcipue in Religiosis sta- tibus reperitur, in hac enim majori cum sollicitudine procuratur subjecto proprii iudicii, abnegatio proprie voluntatis, fami- liaritas cum Deo per orationem, frequentia magis quieta et pia S. Communionis, et re- nuntiatio rerum omnium et inordinati ad eas affectus, ex quibus omnes dissensiones oriuntur, ex quo recte colligant Asceta, amicitiam nullibi perfectiorem, quam in Religiosis veris reperiri, utpote de quibus potissimum dici possit, quod amicorum omnia sint communia. Ut adeo merito dixe- rit Apostolus: «Super omnia autem chari- tatem habete, quod est vinculum perfec- tionis, et pax Christi exaltet in cordibus vestris, in quo et vocati estis in uno cor- pore. COLLOSS. III, v. 13.»

Nosse debet uniones malas, sive amicitias particulares, quarum tres species recte a P. Rodriguez assignantur. Prima est, quando æquales se majori quadam propensione ob- titulum, non in spiritu, sed in carne et san- guine, fundatum, amant, quam quidem ami- citiam S. Dorotheus ut amicitiam diaboli fugiendam docet, utpote quæ spiritum cor- rumpit, et profectus sui zelum extinguit. Imo, juxta Basilium, in Religionibus mille odiorum, invidiarum, suspitionum, inimicitiarumque est seminarium, causa item divisionum, circulatorum, clanculariorum congressuum, conspirationum, et pestis Or- dinum deterrima, utpote prævaricatrix om- nium Regularum, et bonorum omnium expultrix. Unde sequendum prudens S. Do- rothei consilium: «Si proficere cupias, uni- cum habe socium, unicum amicum, Deum, et qui Deum timeat, et cum eo loquaris, et converseris. Et is in domo Dei inops sit, in mysteriis autem Divinis dives et plenus. Quod si dixerint tales, se loqui de bonis rebus, et sibi mutuo præbere bona consilia,

meminerint, non placere Deo sacrificium, quod alieno igne offertur; et silentium obligare, ut certis temporibus etiam a bonis abstinemus,» ne, ut S. Augustinus advertit, prolabamur in mala, transeuntes a verbis bonis, sed tempore prohibito dietis, ad otiosa, et inania, et ex his etiam ad noxia. Secunda species est, quando aliquis ex desiderio ascendi ad splendida et speciosa in Reli- gione officia, iis se plus æquo adjungit, et velut affigit, qui munitis illis, et honoribus consequendis, aut procurandis magis viden- tur idonei, quæ species merito lues pestilen- tissima censetur; nam domus, quæ exterius pontibus et sustentaculis nititur, ruinæ pro- xima est; et arbor palo alligata, satis osten- dit, firmas radices in terris se necdum egisse. Certe parasitorum et adulatorum propria sunt talia officia, non Religiosorum, et ar- gumentum minime fallax præbet, sub reli- gioso pallio superbum, sæcularem, et vanum animum latere. Unde prudenter ite- rum S. Dorotheus monet: «Superioribus, Præfectis et Ducibus tuis subditus esto, ac nimiam illorum consuetudinem evita; est enim laqueus quidam, qui desides et veordes in perditionem et interitum adducit.» Tertia species est, quando certæ per- sonæ uniunt sese, coeuntque ad inducendas in communitatem inauditas novitates, ordi- nationesque sapienter a majoribus institutas convellendas, quam amicitiam proinde, ut S. Bernardus in simili loquitur, «communi- tas expressius plangit, sentit differentius, et vigilantius cavendum existimat, utpote intestinum et domesticum malum.» RO- DRIG. p. I, tr. IV, c. XVIII.

Nosse debet potiora officia charitatis; quæ quidem apte per similitudinem corporis et membrorum explicantur, juxta illud Apo- stoli: «Vos estis corpus Christi et membra de membro.» I COR., XXII.

Unde sicut tunc corpus bene constitutum censetur, si caput erga membra et hæc erga caput alique commembra officium suum præstant; ita tunc quoque charitas censebitur perfecta in communitate, si superior respectu inferiorum, et hi erga superiorem et æquales membrorum et capitis officia imi- tantur. I. Itaque sicut caput suavem impe- randi modum habet præeundo plerumque, aut comitando ad labores; et sicut necessa- rium alimentum spirituum et sanguinis li- beraliter reliquis membris dividit, dolentibus vero et afflictis valde compatitur, et effica-

ter, quantum est ex se, morbos depellere nititur; ita simili modo Superior erga subdi- tos se gerat. 2. Sicut membra inferiora capiti aliquid imperanti celerime obediunt, mire amant, et defendunt, et se pro illo iectibus exponunt, singulariter denique reverentur, ubi maculatum est, abluunt; si erubescit, tegunt, si insigne aliquid facinus ab iis est factum, illi honorem relinquunt, et coronari sinunt; ita similia quoque officia Subditi erga Superiores exercent. 3. Sicut membra æqualia summam conjunctionem retinent, omnemque etiam minimam divisionem fugiunt, se mutuo supportant, ita ut nunc pes, nunc tergum aut latus, nunc alia pars totum pondus sustineat, et summe se defendat, ita ut si flamma pedem aut manum unam corripit, mox alterum depellere nitatur, si occulta pars revelatur, mox alterum membrum tegat; ita hæc ipsa ejusdem communitatis Religiosi erga se observare studeant, sibi que illud Apostoli dictum appli- cent: Ante omnia mutuum in volubilitatis charitatem continentium habentes.

Nosse debet circumstantias ad primarium æ- tum dilectionis, scilicet correctionem fraternam, requisitas; quæ sunt quinque potissimum, quarum prima pertinet ad ipsum morbum, ut scilicet non suscipiatur curatio morbi ad se non pertinentis, aut incogniti, aut jam ex integro emendati. 2. Ad tempus pertinet, ut scilicet non suscipiatur correctio, cum vel corrigens ipse iratum se advertit, aut certe peccantem iratum esse videt; ut non assidue aut statim semper corrigat, sed paulatim emendare studeat, nisi forte periculum in mora sit. 3. Ad locum pertinet, ut scilicet, quæ coram omnibus peccantur, coram omnibus corripiantur, ut omnes timeant; quæ autem secreto patrata sunt, secreto corripiantur. 4. Ad modum pertinet, ut scilicet principii obstistantur; ut ad radi- cem excindendam tendatur; ut non acetum semper severa increpationis adhi- beatur, sed oleum etiam mansuetudinis et lenitatis miscetur, sicut regat vigor disci- plinæ mansuetudinem, et mansuetudo ornet vigorem, et sic alterum commendetur ex altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansue- tudo dissolvatur. 5. Ad finem pertinet, ut scilicet cum intentione solius gloriæ Dei, et salutis proximi ea correctio suscipiatur; et effectus quoqueque a Divina manu cum ma- gna tranquillitate suscipiatur. Hinc etiam pertinet, ut bene apprehendantur cause

obligantes tum ad correctionem faciendam, quales sunt v. g. honor Dei, bonum spirituale fratris peccantis, et bonum Communitatis, quod ex tali correctione dependet, imo et bonum ipsius corripientis, quod ex correctione legitime suscepta merito sperare potest; tum ad eandem æquo animo ferendam, quales sunt præter paulo ante allatas, incrementum insigne humilitatis, patientiæ, et charitatis.

#### CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Ostendi potest fraternæ charitatis officium ex similitudine membrorum ejusdem corporis, eo fere modo, qui precedente §, et ostensus est, dividendo concionem in tria membra, et ostendendo, quomodo superiores se erga inferiores, hi erga superiores, et æquales erga æquales gerere debeant.

Ostendi potest ars omnes lucrandi, juxta illud Senecæ: Monstrabo tibi amatorum sine herba, sine medicamento, sine ullius veneficæ carmine: Si vis amari, ama. Ostendi ergo poterit, quomodo per amorem conciliemus nobis amorem Dei, cujus imaginem tantopere diligimus: *Christi*, cujus discipuli per hanc dilectionem agnoscerunt: *Sanctorum*, qui nihil magis desiderant, quam ut concordiam illam perfectissimam, quam illi in cælis tenent, nos in terris inchoemus: *Proximi*, qui non potest serio amantem non diligere: *Nostrum*, qui alios vere amando discimus et nos sincere diligere, veraque nobis bona procurare.

Demonstrari potest, quomodo verum sit proverbium illud: Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur; atque adeo dividi concio in duas partes, in quarum prima ostendatur, quid sit concordia, nempe conformitas in judicio, voluntate, et executione externa; seu quod idem est, ut idem sapiamus, appetamus et queramus. In secunda autem ostendatur, quomodo talis concordia fit augmentum, 1. In temporalibus. 2. In spiritualibus bonis gratiæ, et virtutibus. 3. In meritis seu bonis æternis. 4. In amicitia non cum Deo duntaxat, sed etiam cum hominibus.

Ostendi potest, quod dilectio proximi sit vestis (*die Liberen*) Christi Salvatoris nostri, juxta illud S. Joannis: In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. JOAN. XIX, 23.

Atque adeo. 1. ostendi potest, quomodo ex dilectione proximi cognoscatur, et probetur charitas erga Deum, qua sola verum imitorem et discipulum Christi facit. 2. Quam pretiosa sit hæc vestis, nempe aurea; quantopere exornet, et quomodo calefaciat animam; quomodo tegat inhonestas nostras actiones (juxta illud: Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum) et ab aliis extrinsecis molestiis defendat; quanto proinde studio cavendum, ne vestis hæc deturpetur per varios actus contra charitatem exercitos, aut omnino laeretur per odia, inimicitias, contentiones, rixas, homicidia.

Desumi potest occasio officii dilectionis hujus explicandi ex more nunc recepto, quo passim nunc solent varia ligamina scæcia (*sedene Bandlein oder Favorin*) portari, et dici, quod, ut laudabilior hæc consuetudo reddatur, tu suadeas, ut certos colores eligant, et per hos dilectionis officia erga proximum exercenda in memoriam revocent; et primum quidem cæruleum sit oportet, per quod significatur, proximum precibus esse juvandum, juxta illud S. Jacobi: Orate pro invicem, ut salvemini, multum enim valet deprecatio justi assidua. v. 16. Hinc et Christus in oratione Dominica semper usus est plurali numero. 2. (*Leichtfarb*) per quod significatur, proximum exemplo esse juvandum, juxta illud Christi: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem, qui in cælis est. MARTH. v. 16. Uti S. Franciscus fecit diens: Se concionari velle, et tam modeste per urbem ambulans. 3. Aureum (*Goldfarb*) vel versicolor, ad significandum, quod etiam operibus variis proximum juvare debeamus, juxta illud S. Joannis: Filii mei, non diligamus verbo aut lingua, sed opere et veritate. I. c. III, 18.

Dicatur proinde hos esse funiculos, quibus proximum trahamus et lucremur, juxta illud Osee: In funiculis Adæ traham eos, in funiculis charitatis. II, 4.

Doceri potest, quomodo firmari debeat dilectio, contra omnes occasiones ejusdem violandæ, ex occasione illius sententiæ ab Ecclesiaste prolata: Funiculus triplex difficulter rumpitur. c. iv. 12.

Atque adeo in prima parte ostendatur, quam efficacia motiva diligendi Deum habeamus ex parte Dei, et scilicet ejus manda-

tum, beneplacitum et promissionem, de quibus Faber, Dom. XVII, post Pentec. conc. VI, num. 2 et 4. In secunda, qualia motiva habeamus ex parte *proximi*, scilicet, titulum similitudinis quoad naturam, fraternitatis propter gratiam et jus hereditatis æternæ, exemplo præcipue a primis Christianis dato, de quibus Faber loc. cit. num. 1 et 3. In tertia, qualia motiva habeamus ex parte *nostrum* propter necessitatem, utilitatem, et jucunditatem dilectionis, de quibus Faber loc. cit. n. 3 et 6.

Ostendi potest auditoribus *Idea proximi*, quia multi reperuntur cum Legisperito quærentes: Quis est meus proximus? LUC. X, 19. Ad quam responsum resolvendam, variæ ideæ seu descriptiones variis personis afferri possunt; uti videre est apud Fabrum, Dom. XII post Pent. c. VIII.

Dici potest, non dubitari quidem, quod auditores parati sint ad dilectionis proximi præceptum implendum, verum quomodo id adimplendum sit, forte non perinde omnibus constare; quare duas regulas se oblatum dicat concionator, secundum quas deinceps regulare suum amorem possint. Quarum prima est: Dilige proximum, sicut teipsum. Altera: Sicut dilexit Christus etc. utraque proinde, vel alterutra certe, si longius videatur excursura concio, fusiùs explicetur, secundum ea, quæ supra sunt dicta, et quæ apud Fabrum, Dom. XII post Pent. conc. 2 habentur.

Explicari possunt commoda et fructus dilectionis proximi, per comparisonem cum pace civili, atque adeo in tres partes dividi concio; in quarum prima ostendatur juvenitas pacis et dilectionis, ad quam significandam in libris Regum dicitur: Habitabatque Juda et Israel absque ullo timore, unusquisque sub vite sua et sub ficu sua. In secunda, utilitas pacis ad divitias agendas, fructusque colligendos, qui applicari ad bona opera et virtutes ac merita possunt. In tertia, necessitas pacis, ut sine qua semper in periculo manifesto versamur vitæ, et omnium honorum amittendum. Concludatur concio illis S. Pauli verbis: Pax Dei quæ exuperat omnem sensum etc.

Ostendi potest, quibus modis pax obtinere possit; videlicet I. Expugnando hostes, id est proprias passiones, et vitia; sine his enim nunquam vera pax obtinebitur, cum non sit pax impiis, PHIL. IV, 7.

2. Per justitiæ conservationem, relin-

quendo cuilibet quod suum est; quia per *meum et tuum* potissime lites et jurgia causantur; hinc S. David ait: Justitia et Pax osculata sunt. PS. LXXXIV, 2.

3. Per confederationem mutuum, id est, propositum mutui defectus supportandi, juxta illud Apostoli: Alter alterius onera portate; et Thom. Kemp. Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus, quia et tu multa habes, quæ oportet ab aliis tolerari. Claudatur illis verbis: Quis est homo, qui vult vitam? Inquire pacem ut possis olim dicere cum eodem: In pace dormiam, et requiescam. GAL. VI, 2. *Imit.* I. 1, c. XVI. PS. XXXIII, 15. PS. IV, 9.

Doceri potest ars corripendi proximum, ostendendo primum, quanti referat, correctionem bene facere; quod similitudine medicorum facile demonstrari potest, dein afferendo aphorismos in correctione observandos, quales sunt sequentes potissimum: 1. Non suscipienda curatio morbi incogniti. 2. Non danda medicina, dum patitur infirmum paroxysmum. 3. Non nimis coacerventur medicinae, nec correctio sit assidua. 4. Secretis morbis secreta remedia adhibenda. 5. Principiis obstandum, ne sero medicina pareatur. 6. Radix morbi querenda, tollenda, puta occasiones, societates, consuetudines male. 7. Non actum solum, sed etiam oleum vulneribus applicandum. Vide supra. Item Fabrum, part. 3. Dom. 16, post Pentec. conc. 17.

#### ALII CONCEPTUS PRÆDICABILES.

QUALITAS. — Charitas proximi ut sit vere perfecta et meritoria, fundata esse debet in vera charitate, quæ est Deus. Quæ ex aliquo federe, et inclinatione tantum naturali procedit, centies millies inferior est, quia non tendit pure ad Deum, tantoque plus de merito perditur, quanto plus adest de complicitate et satisfactione, quam habemus in exhibitione similis obsequii et beneficii. Et vero charitas, quæ ex inclinatione naturali tantum procedit, non diu durat, quia cum causa sit fragilis et caduca, quamprimum aliquid adversum se objicit, defervescit et alteratur, quod non eventit illi, quæ in Deo fundata est, quia in hac causa stabilis est, et solida. S. FRANC. SALESIUS, in *colloc. spirit.* 8, de *Expropriatione sui*.

Subministrat ad doctrinam hanc pulcherrimam comparationem S. Catharina Senensis: Si accipias, inquit illa, vitrum, et impleas quopiam in fonte, bibasque ex dicto vitro non extracto ex fonte, esto bibas, quantum velis, vitrum non evacuabitur: verum si eximas e fonte, postquam ebiberis, vitrum penitus evacuabitur. Sic se habent amicitie, quando non extrahuntur ex sua origine, nunquam decreseunt.

Blanditiæ ipse, et signa amicitie, quæ contra propriam nostram inclinationem exhibemus aliquibus hominibus, a quibus aversionem aliquam habemus, meliores et gratiores sunt Deo, quam sint illæ, quæ exhibemus attracti, et affecti ab affectu sensitivo. Et hoc nullo pacto vocari debet duplicitas, aut simulatio. Nam esto habeam sensum contrarium, is solummodo est in parte inferiori, actus autem, quos elicio vi et fortitudine rationis, quæ est pars præcipua animæ meæ, elicio. Atque adeo si illi ipsi, quibus sancte blandiri, et simul gratificari intendo, jurent, quod id illis facerem, quin aliquam ab iis habeam aversionem, haud jure offendi possent, sed magis estimare, et insuper cariore habere deberent meos hujusmodi actus, quam si provenirent ex partis inferioris affectione. Quia aversiones sunt naturales, et ex se ipsis non malæ, quando eas non sequimur. Contra modus est, et ratio exerceudi quamplurimas virtutes; quia et ipsi Domino gratius est, quando summa cum repugnantia ejus osculamur pedes, quam si multa cum suavitate id ipsum faceremus. Hinc ii, qui nihil præseferunt amabile, neque forte habent, unde magnopere amentur, magna gaudent felicitate; certi enim sunt, quod amor, qui illis defertur, sit perquam excellens, totus siquidem est in Deum et ex Deo. Idem. l. c.

S. Paulus Apostolus, qui in celo empyreo edoctus fuit, et audivit arcana verba, Magnus, inquam, ille gentium Doctor ad Romanos liberrime et imperterrite scribit, quod nullo prorsus debito ulli sive in celo, sive in terra, sive hominibus obstringantur, quam solo debito dilectionis reciproce, quia hoc debito semel perfecte expedito omnis lex perfecte impleta et observata esse censetur: « Nemini quidquam debeatis etc. » Unde Toletus ait: Charitas est brevis summa, et mandatorum Dei epilogus. Idemque Apostolus eorum, quæ asseruit, optimam reddit rationem, nam ad magis præcipua

Decalogi præcepta sese reflectendo dicit: « Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, et si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum. » Porro idem citatus Toletus verbi hujus, « instauratur, » sensum nobis declarat dicens: Instaurari non aliud significat, quam summam comprehendere. S. Augustinus legit: Recapitulatur. S. Ambrosius vero vertit: Consummatur. Tertullianus dicit: Merito totam Creatoris disciplinam principali præcepto ejus conclusit: « Diliges proximum tuum sicut te ipsum. » MANSI, tr. I, disc. 3, n. 1.

Quid est, quod scribitur: Qui proximum diligit, legem implet? Nisi quod, qui diligit proximum, diligit et Deum; quia eadem est virtus et dilectio, qua quis utrumque diligit, ut idem est radius, quo quis solem et terram intuetur.

Quamvis pluraliter dixerit præcepta mea, omnia tamen sumendo ad unum reduxit, dicens: « Hoc est præceptum meum; » quoniam hoc uno impleto omnia implentur, et sine hoc servatio ceterorum nihil prodest. Hinc et Salmeron dicit: Quod supra in plurali dixerat præcepta, nunc præceptum in singulari declarat, quia charitas unum præceptum est et multa, unum in radice, multum in opere. S. Thomas ad eandem difficultatem respondendo, expositionem adducit S. Gregorii dicentis: Dicendum, quod charitas est radix et finis omnium virtutum; radix quidem, quia ex charitate confirmata in corde hominis movetur homo ad implenda omnia præcepta, quæ quasi ad hoc ordinantur, ut homo benefaciat proximo; finis est, quia omnia præcepta ad ipsam ordinantur, et in sola charitate solidantur. Albertus Magnus assignat magnam quandam, quæ inter hoc et alia præcepta versatur, differentiam, dicens: Discretum est ab aliis in tribus, scilicet, quia unit omnia ut radix; quia implet alia, ut forma et motor; et quia perficit alia, ut finis. CAJETAN, in Joan.

Enim vero dubium quoddam hic subnascentur, quoniam modo videlicet Deus nos amare poterit, vermes adeo viles, adeoque Majestati et Divinitati suæ dissimiles, sicut exaltantur cæli a terra, cum tamen trita omnibusque vulgata regula sit, quod similitudo est causa amoris. Responsio vero in promptu est, et facilis, quia creavit Deus

hominem ad imaginem et similitudinem suam; item, Verbum caro factum est; ecce Deus quasi unus ex nobis factus est. » At vero instare quis poterit, ex quo homo, ut S. Augustinus ait ad similitudinem Dei creatus fuit, ut factorem suum pro similitudine diligit; simulque nobis constet, quod Deus a nobis totum affectum nostrum sibi exposcat, absque eo quod ille in alias simul creaturas dispergatur: « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua; » qua igitur ratione amoris nostri partem proximo impertiri poterimus, cum ille totum sibi vendicat? Et ideo advertendum est, quod simul et indivisim connectat: *Et proximum tuum*; id quod per sequentem similitudinem declarare haud difficile erit. Si enim alicui millium scutorum debitor esses, is autem te illa Petro solvere juberet, utique postquam summan prædictam Petro expedivisses, creditor tuus sibi satisfactum plene esse negare non posset, tametsi nummos ipse debitor alteri solvisses, quia jusu et ordinatione creditoris tui id fecisses. Idem ergo in præsentis nostro casu pariter militat. Nos etenim Deo magno amoris debito obstringimur, adeo ut ipsum ex-toto corde nostro diligere teneamur; idem vero Deus hoc amoris debitum proximo nostro, quem tenerrime diligit, adeo ut semetipsam in pretium et redemptionem illius tradiderit, impendi et expediti jubet, dum ergo proximum diligis, nihil Deo de debito ipsius amore diminuis, aut subtrahis, quia amore illius amore jussu ejus proximum diligis. MANSI, tr. V, disc. III, n. 6.

S. Augustinus vero optime notat, amorem nostrum erga proximum minime affectum esse debere ea qualitate, qua imbutus est amor, quo amamus amicos, parentes, filios, uxorem; et multo minus ea qualitate, cum qua simul etiam amamus adulteros, sed ordinandum esse ad finem, ad quem illum Deus ordinavit, nimirum ad salutem æternam: Ipsa est dilectio, inquit, ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguendo addidit Dominus, *sicut dilexi vos*. Quid enim nisi Deum dilexit in nobis, non quod habeamus, sed quod haberemus: Adducitque medicus alicujus exemplum, qui infirmum diligere dicitur, quia ei desiderat et procurat salutem, non vero morbum diligit, sed potius illum extinguere satagit; sic ergo et nos invicem diligamus, ut quantum pos-

sumus, invicem ad habendum Deum cura dilectionis atrahamus. S. ACC. tr. LXV. In Joan.

Spiritus Sanctus bina vice in forma visibili de celo descendit, et prima quidem vice usus est elemento ignis, de quo Ecclesia canit: *Ignis, Charitas*, quia ignis est symbolum amoris. Altera autem vice in similitudine columbæ apparuit: In columbæ specie Spiritus Sanctus visus est. Porro mysterium istud auctor *Imperfecti Operis* hisce verbis nobis declarat: Ideo Spiritus Sanctus speciem columbæ suscepit, quoniam præ omnibus animalibus hæc cultrix est charitatis. Qui idem auctor demum docet, hypocritas omnes quidem virtutes, quibus veri servi Dei præditi esse conspiciuntur, simulare valere, sed non charitatem aut proximorum dilectionem. Habet enim diabolus et mauscos, et humiles, habet castos, elemosynarios, et jejunos. Item, inquit idem auctor, per experientiam videtur, quod, quidquid boni fit a bonis, astutissimus inferni coluber per suos imitari contendat, ut bonos seducat; ut inter bonum verum et simulatum falsum confusio fiat, ut simplices homines boni veri, et boni simulati intelligere differentiam caute non possint. Tandem ad propositum nostrum concludit: Solam autem charitatem Sancti Spiritus non potest imitandum Spiritus imitari.

S. Albertus Magnus verba illa exponens: « In hoc cognoscent omnes, quod Discipuli mei estis, etc. » hunc in modum scribit: Omnes Christi discipuli hoc signaculo cognoscentur; et in hoc signatum est Josue II, ubi dicitur, quod signavit Raab domum et familiam suam omnibus Dei inimicis, ut cognosceretur per vittam coccineam, per fenestram domus suæ pendentem; vittam enim est charitas, quæ ligat, coccinea autem est periborem charitatis. De certitudine autem est, quod sola charitas est signum certum salutis. Apostoli autem præfigurati fuerunt in exploratoribus, inquit Rabanus: « Exploratores Apostoli. » At vero scitis causam cur duo tantum, et non plures fuerint emissi? Idem Rabanus hanc pandit, dum ait: Duo viri exploratores in duobus præceptis charitatis ambulantes. Unde Albertus Magnus (ubi supra) concludit: Tantus quilibet in discipulatu Christi est, quanta est charitas sua. S. ALBERT. MAGN. In Joan. XIII.

Moyses in Genesi, hoc est, in Historia Creationis mundi, referet, Creatorem de re-

bus a se creatis dixisse: « Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona, » cum tamen paulo ante in aliarum substantiarum productione dixisset: « Vidit Deus, quod esset bonum; » cur obsero in approbatione cunctarum creaturarum simul sumptarum dixit: « Et erant valde bona? » S. Hieronymus apte ad hoc respondet: Omne, secundum Philosophos, tantum habet bonitatis, quantum habet unitatis, propterea in exordio mundi « vidit Deus cuncta, quæ fecerat et erant valde bona. » MANSI. tr. s. disc. vi, n. 7.

Si homines, sicut Angeli, omnes simul et semel creati fuissent, vel unus independenter ab alio, dilectio, quam generatio et cognatio ejusdem sanguinis insinuare solet, ipsis adeo firmiter minime impressa fuisset; nunc autem homo alium hominem generando, eidem pariter amorem infundit per viam similitudinis et propagationis naturalis. Similiter Theodoretus ait: Voluit Deus ex uno viro, et ex una muliere subsistere universalitatem hominum, ut in concordiam convenirent, tamquam ex una radice florentes. Ibidem, n. 24.

B. Laurentius Justinianus quoque hanc eandem rationem notavit, dum ait: Proprietate Deus voluit unicum hominem primo formare, ex quo omnes procederent, ut tamquam fratres se amarent; non sic legitur factum esse in Angelis, et brutiis.

Quando altissima diluvii aque deflere cœperunt, et prohibita sunt pluvie de caelo, Noe columbam extra arcam emisit. Circa quod factum duo mihi quaerenda occurrunt. Primo, cur Noe, qui tot alias volucres intra arcam reclusas habebat, post emissum corvum, hanc columba, tantopere a corvi deformitate et rapacitate aliena, uti voluerit? Secundo, cur columba isthæc inter tot arborum genera, solius olivæ ramusculum in ore suo deportarit? Portans ramum olivæ virentibus foliis in oresuo. S. Bruno in hac vasta arca mole omnes totius mundi nationes et populos virtualiter reclusos fuisse dicit, quia ab octo illis hominibus tota humana progenies super terram propagari debebat. Columbam autem dicit figurasse Spiritum Sanctum, qui hoc suæ olivæ ramo, quem ore deferebat, quasi tacitus omnes totius universi Provincias et Regna monere voluisse videbatur, ut pacem et concordiam inter se mutuam omni studio conservarent, quibus tunc in illa columba Spiritus Sanctus, quodam-

modo loquebatur, et dicere videbatur: Pacem tenete, pacem diligite, sine qua nemo Deum videbit et Deus pacis et dilectionis erit vobisem; pauci quidem estis, sed res parvæ concordia crescent, magnæ vero discordia dilabuntur. Olivæ symbolum est pacis, et ideo hanc Deus tantopere amavit, ut inter omnes alias arbores solam olivam in suo virore et vigore conservavit. Corvus quidem ante columbam ex arca dimissus fuerat, et tamen hic ramum hunc minime secum attulit, quia avis hæc rapax et sanguinolenta est, et cadaveribus pascitur, et ideo homines significat contentiosos et discordes, cum e contra columba avis pacifica et mansueta sit, quæ proinde amorem et dilectionem fraternam mutuam representat, et hæc quidem olivam non intra pedum unguis, sed in ore suo attulisse dicitur: In ore suo virentibus foliis; idque non sine peculiari mysterio factum est, quia, ut Sanctus Ambrosius notat: In ore non frustra ramus videtur esse delatus, eo quod Justus in sermone suo habet charitatem, maxime cum pacifica loquitur. Quod si enim pacis amicum ab homine contentioso dignoscere cupitis, advertere debetis, quoniam modo quis loquatur de proximo suo; si enim in respondendo asper, amarus, pungitivus, et elatus fuerit, non columba, sed corvus erit. Olivæ quoque in ore deferenda est, quia tunc nos proximos nostros diligere probabimus, si illos pro majori ipsorum utilitate verbis charitativis, benignis et mansuetis correxerimus, si consilia ipsis salutaria suggererimus, si eos in afflictionibus consolati fuerimus, et ubi opus fuerit, ea, quæ ad salutem necessario scire debent, edocuerimus, beneque semper et honorifice locuti fuerimus, denique si illis non solum lingua et verbo, sed etiam opere ipso benefecerimus. Ibid., dis. ii, n. 5.

In Sion a Salomone templum, quod Ecclesie figura extitit, edificatum fuit. In ejus typo advertendum est, quod Deus ad illius fabricam erigendam Regem illum voluerit adhiberi, qui Salomonis, id est, Pacifici nomen sortiebatur. Præterea, quod in machina quadam adeo vasta valde stupendum fuit, Spiritus Sanctus signanter notavit, quod malleus et securis et omne ferramentum non sunt audita in domo, cum edificaretur; hæc autem omnia in figura contingebant; siquidem per hoc doceatur, quod fideles, qui sunt lapides vivi, et quibus Jero-

solyma celestis, id est, Ecclesia, edificatur, quæ construitur vivis ex lapidibus, nunquam ferrum, seu enses et gladios tractare debeant, sed potius satagere, ut charitatem, pacem et unionem mutuam fideliter diligant. Ibid. n. 7.

Stetit Jesus in medio discipulorum suorum, et dixit eis: Pax vobis. In quibus verbis singulariter, in medio, ponderandum nobis venit; ex illis namque Didaeus Stella egregiam, suoque ingenio dignam educit moralitatem. Postquam enim per S. Apostoli auctoritatem Christum mediatorem nostrum demonstravit, pergit ulterius dicens: Quocirca debes animadvertere, quod, si proximo injuriam intuleris, aut manu eum percuiseris, prius maxillam Christi ictus fueris, quam maxillam proximi, ideoque nemo proximum offendit et lædit quin prius Christum offendat. Paulo post vero idem auctor efficax quoddam subjungit motivum, per quod inducamur, ut vindictivos in nobis spiritus reprimamus, Christumque defensores nostrum esse sinamus: Iram comprime, inquit, nec proximum offendas; si vero tu injuria fueris affectus, tace; Deus enim, qui prius injuriam accepit, ipse vindicabit, cum dicat: Mihi vindictam, et ego retribuam. Ibid. dis. viii, n. 15.

Cardinalis Toletus ulterius progrediens, considerat, quod universe leges, quæ hactenus a bene ordinatis Republicis emanarunt, ad hunc quoque amorem reciprocum tendunt, omnes enim, sicut lineæ ad sum centrum, ita ad hoc dilectionis præceptum redeuntur. Revera enim omnis lex etiam civilis comprehenditur, quæ maxime in justitia cum proximo servanda consistit. Et vero per hanc occasionem Principibus insinuat, quanto ipsis pro quiete et pace publica conservanda auxilio sit lex Evangelica, utpote quæ in substantia sua professoribus suis aliud nihil æque inculcat, firmiterque persuadet, quomodo reciprocam charitatem et dilectionem. Cum Principatus versentur in conservanda justitia et pace inter homines, malum omne prohibendo, quo se mutuo afficere solent; Evangelium perfectionem maximam adfert Principibus, quia præcipit et inducit charitatem proximorum mutuam, quæ plenitudo est omnium legum. TOLETUS ad Rom.

S. Job maxima cura angebatur, ut familiarie sue innocentiam sartam lectam conservaret: « Cum in orbem transissent dies con-

vilis, mittebat ad eos Job, et sanctificabat illos, dicebatque: Ne forte peccaverint filii mei. » Verum dicat aliquis, quia ratione S. Job de puritate conscientie ipsorum bene sperare poterat, quando illi continuo epulabantur, et in conviviis erant? Potius quoad appetitum externam, mala quævis suscipiari de illis potuisset; siquidem conviviorum hilaria ut plurimum solent ad malum esse valde proclivia, et tamen, si Chrysostomo credimus, inimicus infernalis, qui unionem, et dilectionem fraternam et reciprocam ferre nequit, eisdem convivantibus iratus, muros domus subversos super illos corruere fecit. Observavit, tali eos tempore necare (quo nullatenus peccaverunt) quo, cum omnes simul læti erant, cum ad pacem conjungebantur. Instaurantur licet convivia, sint homines jucundi, hilares, et facta conversatione, cunctisque aliis recreationibus animum serenent, dummodo convivia illa et recreationes dilectione condita, et per charitatis legem bene regulate sint, nulla in iis offensæ Dei subesse poterit; « quia qui diligit proximum legem implevit; et dilectio proximi, malum non operatur. » S. CHRYS. de Job.

S. Augustinus illa verba S. Pauli considerans: « Qui diligit proximum, legem implevit, » eademque cum aliis conferens, quæ idem Apostolus scripsit ad Galatas, nimirum: « Omnis lex, etc. sequens movet dubium, dicens: Cum in duobus præceptis dilectionis Dei et proximi perfecta sit charitas, cur Apostolus et in hac et in illa epistola solum proximi dilectionem commemorat, nisi quia in dilectione Dei possunt mentiri homines, quia rariores tentationes eam probant; in dilectione autem proximi facilius convinctur eam non habere, dum iniqua cum hominibus agunt. Ergo is, qui non diligit proximum, omnium legum prævaricator esse convinctur, et idem evidens quomodo argumentum est, quod neque diligit Deum. S. AUG. in epist. ad Gal. l. c.

Cherubini templi Salomonis ad utrumque propitiatorii latus constituti, expansis alis suis, et conversis ad se invicem vultibus sese mutuo aspicebant: « Duos Cherubim aureos, et productiles facies ex utraque parte oraculi, Cherub unus sit in latere uno, et alter in altero, utrumque latus propitiatorii tegant expandentes alas et operientes oraculum; respiciantque se mutuo versis vultibus in propitiarium. » Advertendum enim est, quod

uno eodemque tempore sese invicem vicissim respexerint, concessisque aliis reciproci in se amoris ignem accenderint, ita tamen, quod oculos habere debuerint in propitiatorum directos, ad denotandum, quod mediante igne amoris divini, alius quoque in nobis fraternæ dilectionis ignis accendatur. Unde Abbas Cellensis ait: Non vertunt vultus in propitiatorum, qui sese mutuo non respiciunt, « quia qui proximum, quem videt, non diligit, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? » In mutuo respectu fraternæ dilectionis, in verso vultu in propitiatorum humilis reverentia ad Creatorem nostrum intelligitur. Aliam ejusdem rei rationem B. Laurentius Justinianus adfert, nimirum connexionem necessariam, quam dilectio proximi habet cum dilectione Dei: Notandum autem est, inquit, quod nequam quam proximum recte potest diligere, qui prius Deum veraciter non diligit, amore Dei firmata esse debet dilectio proximi, nec hominem recte diligere novit, quisquis eum recte non diligit, qui hominem fecit. *Abbas Cell. l. II de Taber.*

D. Laurentius Justinianus dicit, quod juxta mensuram charitatis, qua proximum diligimus, amoris quo Deum prosequimur, intensio agnoscat: Stateram quamdam spirituales divini amoris, proximi voluit esse dilectionem. Scripturam Sacram quatuorquersum, obsecro, pervolvatis, sic enim utique invenietis, quod Deus majorem curam habeat, ut proximos nostros diligamus, quam ut amemus Deum ipsum. Non quod et ipse cor nostrum possideret, sed quod ex proximorum dilectione, ea, qua ipsum amamus, mensurari et agnosce soleat. B. LAUR. *Just. in Fascic. amor. c. 1.*

Deus olim cuncta Sacrificia sale conspergi præcepit: « Quidquid obtuleris Sacrificii, sale condies, » idque mandavit non pro meliori carni illarum sapore et condimento (Numquid manducabo carnes taurorum?) sed propter mysterium, ad denotandum videlicet, quod nullum opus nostrum illi acceptum sit, nisi illud a corde et voluntate, dilectione et amore erga Deum et proximum accensa processerit. Sal etenim ex duobus elementis inter se contrariis, aqua nimirum et igne, in nostrum tamen commodum et obsequium simul unitis et concordibus componitur. « Habete in vobis sal, et pacem habete inter vos. » *MAX. dis. II, n. 10.*

De S. Josepho, qui Dei honorem, fratrum-

que suorum salutem magno cum zelo persecutus fuit, sacer Textus ait: « Accusavit fratres suos apud patrem crimine pessimo. » Porro inter sacros expositores non satis convenit, in quonam hæc accusatio præcipue steterit. Aliqui enim per crimen pessimum, crimen nefandum; alii bestialitatem, alii prolatam adversus proprium suum genitorem detractionem intelligunt; Pererius vero per crimen illud pessimum, sæpius inter ipsos abortas rixas et dissensiones intelligit, cui consonat Glossa interlinealis dicens: Quod est fraternum odium. Hebraeus loco illius, crimine pessimo, ita legit: « Et retulit patri rixam eorum pessimam. » Unde subiungit Pererius, id ipsum bene consonare eum illo, quod sacer Chronista supra retulerat, scilicet filios liberæ contempnisse illos, qui ex ancilla nati fuerant, unde discordiæ et dissensiones inter ipsos procedebant. Istud in translatione nostra vocatur crimen pessimum, quia sicut fraternæ charitatis quid optimum dicitur, ita e contrario odium fraternum crimen pessimum nominatur. *Idem, dis. x, n. 21.*

#### Actus correctionis.

Macrobius Aurelius, lib. VI, Saturnal. cap. III, ait: Aqua dulcis magis idonea est, quam salsa, eluendis maculis. Rationem dieti ex Aristotele sumptam ibi assignat Diarius. Tantundem ego de maculis et culpis proximorum affirmo, ut aquam dulcem suavioris reprehensionis adhibeamus, si emendare eas volumus, non aspera verba salsa, et mordacioris increpationis. Argue mansuete et affabiliter, et videbis quantum fructum facies. Remissus imperanti, facilis parctur. Natura contumax est humanus animus, et in contrarium atque arduum nitens, sequitur facilius, quam ducitur, aiebat bonus Seneca de clementia. *Nysseus p. I, Fer. II, post 3, Dom. Quadrag. § 3.*

S. Petrus Damianus querit, quid mysterii habeat, quod Eliseus, quando cum virga, aut baculo misit discipulum suum Giezi, non revocavit in vitam piæ hospitis suæ filium: « Giezi posuit baculum super faciem pueri, et non erat vox, neque sensus. » *4. R. 4, 31.* Præcurrens Giezi, ut resuscitaret puerum, cumque omnia frustra a se tentata cerneret, reversus in occursum Magistri sui, inquit: Non surrexit puer. Baculum illi, sed nullo

commodo imposui, mors enim illum hæcenus pertinax attinet. Ingressus itaque Eliseus cubile, in quo exanimis puer jacebat, claudensque post se ostium, posuit os suum super os ejus, et oculos suos super oculos ejus, et manus suas super manus ejus, et incurvavit se super eum, et calefacta est caro pueri. Percunctatur nunc S. Petrus Damianus, quare non æque Giezi, ac Eliseus redanimavit puerum? Respondet: Vide, quid quisque egit, ut resuscitaret, atque inde accipies, quare unus præ alio mortem depulerit. Giezi posuit baculum super faciem pueri; baculo velut dure illum excepit. At Eliseus posuit os suum super os ejus, ac blandissime illum habuit, et quid inde? Calefactus est puer, et revixit. Quare significatum fuit, ut, si ab animæ morte revocare proximos, si correptione reddere iis vitam, si Deo lucrari, si a malo statu reducere volumus, blanda manu eos contingamus, cum suavitate et charitate, non acerbè, non morose objurgemus: Quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris Spiritum puer ad vitam rediit, inquit Sanctissimus Cardinalis opus. II, c. XXVIII. *Ibidem.*

Tanta autem adhiberi debet lenitas et suavitas, tantumque piæ correptionis artificium, quo illa oplatum fructum referat, ut, si capere, et constringere, Deoque venari fratrem tuum velis, industrios venatores imitari, et pro more illorum, animalis, quod captum cupis, colorem induere debeas, hoc est, cum peccatore peccatorem, imbecillum eum imbecilli, cum tristi tristem præferre, sic nimirum, quæ volēs, feliciter sub manus ibunt.

Indumenta, quibus Joannes utebatur, cum in eremo prædicans animarum lucris inhæbat, sic Matth. delineat, c. III. « Joannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbos suos. » Atque ita vestibus clamabat in deserto, magnisque vocibus ad agendam poenitentiam omnes cohortabatur.

Querit potest, cur Joannes ut poenitentiam prædicaret, et peccatores attraheret, tam informis animalis pellem, tam distorti simul ac turpis bruti exuviis vestiri voluerit, quem magis albus e candidiore mustela amictus decessisse videtur. Sacer Ravenatum Archiepiscopus D. Petr. Chrysol. ser. CLXX, respondet apte dicens: « Accepit tortuosissimi pilos animalis, nihil habentis recti, nihil gratiæ, nihil decoris. Tali poenitentia Magister indui debet vestimento, ut peccatores a vitiiis

abstractos Deo attrahat, nec enim aliud est, artificium, quo capere ac venari facilius illos possis, quam si miserias illorum induas, imbecillitatesque eorum ipse præferas. *ABBAS COLL. l. II, de Taber.*

Constituēbat Christus Petrum et Andream predicatores mundi, simul autem et illos et omnes, quotquot idem sacrum munus exercituri erant, piscatores hominum futuros dicebat, inquit: « Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum; » *МАТТ. IV, 19.*

Hinc scrupulus enascitur, quare Christus illos titulo Doctorum et Ministrorum insignire voluerit potius sub metaphora piscatorum, quam sub aliorum quorumcumque artificum similitudine?

S. Dorotheus, doct. vi, in piscatoria arte aliquid observavit, quod movere potuit, ut piscatores hominum facere velle diceret, quos Doctores illorum constituere certum habebat: Cum piscem ullum immensum hamo jacto ceperint, inquit ille, ubi illum fluctus miscere, et magna vi concuti sentiant, non eum subito ad litus trahunt cum molestia, sed callide funem illi remittunt, sinuntque molliter enatare, quo voluerit, at ubi cognoverint remissam iram, sensim illum incipiunt trahere, sicque capto potiuntur. Hoc est, quod a piscatoribus discere predicatores debent, ut magna utantur cautione et industria, cum educere ab aquis peccatorem quempiam volunt, quando is hamum correptionis hausit, ne illum perterrefaciant, ne minaciis percellant, sed blande suaviterque adducant temporisque omnes articulos observent, ut, quem destinato operi opportunissimum fore putarint, eo illum ex undis vitiorum ad emendationis litus attrahant. Viri Sancti, inquit iterum Dorotheus, cum patientia et charitate fratrem trahunt, neque ipsum calcibus appetunt, sed veluti mater, quæ deformem filium peperit, non eum spernit, quia deformis est, sed malerno amore, et mansuetudine ornatum reddit, et quidquid gratum noverit, facit; ita illi peccatorem semper suscipiunt, ornant, timent, protegunt, ut tandem eum revocent, et erigant. *Id. Dom. v, post Pasch. § 3.*

Commisit David duo illa tam gravia, quam notoria flagitia, et quia Deus rebus illum magnis servabat, ejusque exemplo spem aliorum, qui similia perpetraturi erant, erigere volebat, misit Dominus Nathan ad

David, II, Reg. XIII. qui illum de malefactis objurgaret. Dubitarant nonnulli, quantum temporis interesset inter horam, qua peccavit David, et eam, qua de sceleribus suis commonefactus a Nathan fuit, quod Sacer Scriptor dissimulasse videtur. Eusebius Casariensis apud Danielem Barbarum, in Catena super Psal. I, ait, totum annum effluxisse, antequam venerit monitor. Sed cur Deus tamdu cunctatus fuit, ut Davidi reprehensorem vatem submitteret? Nonne satius factum, si recenti adhuc vulnere cataplasma impositum, et quam primum natæ infirmitati medicina adhibita fuisset? Eusebius, quem dixi, aliter sentit, ob eam causam, quod primi a commisso peccato dies nondum essent opportuni, adhibendæ medicinæ, aut curando ægro, cujus in corde peccatum per id tempus, non secus ac in dolio mustum effervescerat, adeo non hasisset vulnere emplastrum.

Huc facit illud Dionis Cassii de agricultura, I, VII, c. XIII. Illud in omnibus vinis peculiariter observandum est, ut jam sedatis ipsis condituram faciamus, que si tum curare velis, cum æstuant, sursumque ac deorsum convolvuntur, frustra condimentum adhibueris. Ea propter providentissime Dominus expectavit, donec animus Davidis discusso nullo serenatus, sibi que redditus fuisset, ut optatum sortiri medicina effectum, atque in vulneris intima penetrare efficacitas emplastri posset. Deus nimirum, ut scribebat Abulensis, qu. V, in c. IX. Judicium, pro sua benignitate non solum miseretur nobis, sed etiam fecit nos dignos misericordiam, inquirens tempus, in quo miseretur, secundum illud Isaie XXX, 18, *Expectat Dominus, ut misereatur vestri*. Cum Davide sane sic egit, expectans tempus opportunum curationi, quo providebat salutarem fore medicinam, quam paratam habebat, tempus, inquam, quo illum correptioni aptum, et ad eam recipendam commodè dispositum prospiciebat. Docuit eo exemplo omnes, qui aliorum emendationi dare operam volunt, quo artificio et astu ad hanc rem uti debeant, ut prosit reprehensio, et non magis exasperet vulnus medicina. Ibidem.

Quærit Beatissimus P. Gregorius, cur Nathan tam densis obscuræ parabolæ involucribus contegere voluerit, quæ Davidi, ut sceleris sui illum admoneret, dicturus erat, neque apertis verbis in os illum objurgavit de peccato, quod jam ante nimis, quam per vulga-

tum erat. Respondet autem his tam disertis verbis: Vir Sanctus, et peccatorem considerans, et Regem, miro ordine audacem reum prius per confessionem ligare studuit, et postmodum per invocationem secare, celavit paululum, quod quaesivit, sed percussit repente, quem tenuit, pigrius enim fortasse incidere, si ab ipso sermonis exordio aperte culpa ferire voluisset, sed præmissa similitudine eam, quam occultabat, exacuit increpationem. Ad ægrum medicus venerat, secundum vulnus videbat, sed de patientia ægri dubitabat. Abscondit ergo ferrum medicinale sub veste, quod eductum subito fixit in vulnere, ut secantem gladium sentiret æger, antequam cerneret, ne si ante cerneret, sentire recusaret. Hæc ille in lib. curæ pastoral. p. III. admon. 4. Nonne videtis, quam solertiam hoc opus, et quantum sedulitatem res ista postulet, et quam attentum, circumspectumque esse oporteat, ut bonæ cæcusationis optimam rationem habeat, qui alios redargiturus est, ne, si forte intemptivus adveniat, corrumpat eum, quem corrigere, et emendare cupiebat. Quo quantum artis et industriæ, recte corripendorum aliorum officium exposcit! Ut enim erudum adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur, atque ultro requirit, sic recens animi dolor consolationes rejicit, mox desiderat, et clementer admotis acquiescit, inquietat Plinius, I, V, ep. XVI; sic vere nova animæ plaga curam omnem respuit, sed post, quam inde subsequuta perturbatio subsidit, non admittit solum, verum expetit etiam medicinam. Quare prudentissime facit, qui temporis opportunitatem caute, diligenterque observat, per quam sæpe fit, ut antidotum ab exoccupato jam ægro non ægre suscipiatur, neque admodum vel sentiat, vel eretur, tametsi forte acerbius asperiusque expectatione illius, malagma fuerit. Ibidem.

#### XV. MISCELLANEA.

Rachel dilexit Tobiam juniorem, vel hæc una de causa, quod boni et optimi viri filius esset, et illius similitudinem haberet, etsi nesciebat, an junior Tobias pius futurus esset; pari modo, et anima quaeris, etsi nesciamus, an odio vel amore digna sit, amanda tamen est, quia optimi Dei similitudinem refert, ejusque filia est. F. SALES. lib. X.

Abbas Pæmen interrogatus, quomodo in-

telligendum esset illud Christi: Majorem charitatem etc. Respondit: Si quis malum verbum audivit a proximo suo, et tolerat contra, iste animam ponit pro amico suo. V. PP. I. III. n. 201.

Dixit Abbas Pastor, quacumque hora tegimus peccatum fratris nostri, leget etiam Deus nostrum; et quacumque hora prodiderimus culpas fratrum, et Deussimiliter nostra prodet.

Quidam Frater rogavit Abbatem Pæmenem: Quid faciendum, quia turbor a tristitia? Respondit senex: Neminem pro nihilo despicias, nullum condempnes, nulli detrahas, et dabit tibi Dominus requiem.

Interrogatus quidam senex a Fratre quomodo inveniret Deum, utrum in jejuniis, vel in laboribus, vel in vigiliis, vel in misericordiis? respondit: In his, quæ enumerasti, et in discretione; dico enim tibi, quod multi afflixerunt carnem suam, et quia hoc sine discretione faciebant, abierunt vacui, nihil habentes. Os nostrum præ jejuniis foetet, Scripturas omnes didicimus, ex corde psalmos David consummavimus, et quod Deus requirit in nobis, non habemus, scilicet charitatem et humilitatem. Ib. I. IX, n. 6.

Quidam monachus senex magna charitate fratres suscipiens cum interrogaretur, cur ante canonicam refectioem horam prandere eos cogeret? respondit: Jejunium, Fratres, semper est mecum, vos vero non semper mecum tenere potero. Itaque Christum in vobis suscipiens, refricere cum deo, et cum vos deduxero, districtioem jejunii in memetipso potero compensare. Non enim possunt filii Sponsi jejunare, donec cum illis est Sponsus, cum autem discesserit, tunc cito jejunabunt. Vita PP.

Cum quidam Frater diceret ad senem: Duo Fratres sunt in cella. Unus sex diebus jejunat, alter infirmantibus facit obsequium, cujus opus melius est apud Deum? Respondit senex: Etsi ille jejunus per nares se suspendere non erit similis alteri in conspectu Dei. Vita PP.

Senex solitario mortuum portanti dixit: Mortuos portas? At vivos porta. PENN. Q. in Isag. p. III, c. xv, n. 1.

Animalia portantia currum Dei, habebant quatuor facies, indicantes appetitum concupiscibilem, et irascibilem, intellectum, et voluntatem; aut etiam quatuor Virtutes Cardinales, et habebant tantam inter se concordiam, ut Propheta nunc de iis quasi de multis,

nunc quasi de uno loquatur, dicens: Ipsum esse animal. LUDOV. DE PONT. P. III, tr. III, c. IX.

Regina dicitur astitisse in vestitu deaurato, circumdata varietate, ad significandum, quod licet in aliqua communitate sunthomines diversarum nationum et linguarum, debeant tamen semper convenire in veste aurea dilectionis portanda. Ps. LXIV, v. 10, Ibid.

Unde Ecclesiasticus ait: Filii sapientiæ, Ecclesia justorum; et natio illorum obedientia et dilectio. ECL. II, v. p.

Cervi cum insulas tranant, ita sibi mutuo capita inclinant, ut primus, quando fatigatus est, post omnes recedat et ipse pariter alteri caput inclinet, onus portandi proxime succedenti relinquens; si hoc cervi, quid Christiani? Nihil sic probat amicum, quam oneris amici portatio. S. AUG. ser. XV, de Apost.

Cæsar cum exteros quosdam videret catulos in sinu ferentes, interrogabat, an apud illos populos liberi non reperiretur? indignatus videlicet, amorem, qui liberis debetur, in catulos transferri. STAPL. DOM. XVII, post. Pent.

Sponsa in Canticis, postquam dixisset: Posuerunt me custodem in vineis; mox addit: Vineam meam non custodivi; quia quocumque die aliis quis vigilare incipit, eodem rerum suarum memoriam deponere, et suis commodis dormire incipit, ut officio suo satisficiat. THEM. III, Cant. I, v. 6.

Christus post mortem in latere, quod versus Aquilonem erat situm, vulnerari voluit, quia cum omne malum adversus Ecclesiam ab Aquilone venturum prævideret, juxta illud Jeremie: Ab Aquilone pandetur omne malum (Jer. I. 14), primum letum in se suscipere voluit, ut minus laderetur Ecclesia. DIBACUS NYSS. per. n. 4, in Dom I. Adv.

Carolus Fridericus, Dux Juliacensis, pro symbolo habuit parmam, sive scutum, humanis cordibus plenum, cum inscriptione: Sic murus aeneus esto. MICH. RADAW, in orat. exemp. p. II, c. III, q. 6.

Parthenica Sodalitas in collegio Romano habuit in symbolo catenam ex annulis, non nexis sibi invicem, sed a superstante magnetis cordibus plenum, cum inscriptione: Arcanis nodis. Sodalitas vero Mariana habuit columbam odore perfusam, quam gregatim aliæ sequebantur, cum lemmate: In odorem. Ibid.



## AXIOMATA.

Est amor ingratus, si non sit amator amatus. Sorte patet misera, quæ sit dilectio vera. Verus amator erit, qui me plus, quam mea, quaerit. BUCHLER. v. eod. libid.  
Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur. libid.

## AUCTORES.

Alphonsus Rodriguez, p. I. tr. 4. n. 3. NB.  
Ludovicus de Ponte, t. II. tr. III. et t. III. tr. I. c. v, et tr. VII. c. III, IX, X, XI, XII, n. 3. NB.  
Franciscus Labata, in Apparatu, verbo: Amor proximi, et correctio fraterna.  
Petrus Sanchez, in Regno Dei p. VI.  
Petrus Canisius, t. I, c. III.  
Bernardinus Rosignolus, de Discip. perf. I. II, c. VII.  
Hieremias Drexelius, in Rosis p. I, c. 1.  
Joannes Buseus, in Viridiario v. Charitas Dei, et proximi.  
Ludovicus Granatensis, in Silva locorum communium, p. 329.  
Laurentius Beyrlinck, tex. V, in Fest. S. M. Magd. et test. I, in Festo SS. Simonis et Jude.  
Th. Stapletonus, tex. IV, in Dom. XII, post Pent. et tex. III, in Dom. XVII. Item tex. I. In Dom. I, et tex. VIII, in Dom. XII, post Pent.  
Matthias Faber, c. 1, in Fest. SS. Simonis, et Jude, conc. II. de Inimicis diligendis. Quam materiam etiam tr. conc. III. in fest. S. Stephani. Item conc. II, in Dom. XII, post Pent. conc. v, in Dom. XVII, conc. II, in Dom. XXI.  
Josephus Mansi, t. I, tr. V. Bibl. Mor.

## DISCORDIA.

## QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO.—Est quedam voluntatum disgregatio in diversa, juxta S. Th. aut juxta Ciceronem, est ira acerbius intimo odio et corde concepta. S. Th. II. II, q. XXXVII. a. 1.  
Unde Isidorus dixit: Discordia est aliquorum diversio, quos prius amoris vinculum colligavit. Concordia vero est convenientium

in rectitudine animorum indrupta quedam et unita complexio. Seditiosus est qui disensionem animorum facit, et discordias gignit. ISID. I. *Ethymol.*

ACTUS.—*Verbis, alterius opinionem se plus æquo opponere*; id quod S. Paulus prohibuit dicens: Noli contendere verbis; ad nihil enim utile est nisi ad subversionem audientium. II. TIM. II, II, 14.

*Ad verbera usque contentiones et rixas extendere*; de quo illud Salomonis intelligi potest: Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius. ECCI. VIII, v. 1.

*Etiã sanguinem effundere rixando*; id quod Siracides indicavit, dum dixit: Certamen festinaturn incendit ignem, lis festinans effundit sanguinem. Ib. XXVIII, v. 13.

## II. EX. S. SCRIPTURA.

QUALITAS.—Non est dissensionis Deus, sed pacis.

Sex sunt quæ odit Deus, et septimum detestatur anima ejus, qui seminat inter Fratres discordias. PROV. VI, v. 16.

Cum sit inter vos zelus et contentio, non carnales estis? I. COR. XIV, v. 33.

Inter superbos semper jurgia sunt. PROV. XIII, v. 10.

Abstine a lite, et minues peccata. ECCI. XXVIII, v. 12.

Qui tecum vult iudicio contendere, et tunicam tollere, dimitte ei et pallium. MATTH. V, v. 40.

DAMNUM.—Sex sunt, quæ odit Deus, et septimum detestatur anima ejus, qui seminat inter Fratres discordias. PROV. VI, v. 16.

Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. II. TIM. VI, v. 14.

Virsapiens, si cum stulto contenderit, non inveniet requiem. PROV. IX, v. 9.

Omne regnum divisum contra se desolabitur, et omnis civitas vel domus disversa contra se non stabit. MATTH. XII, v. xv.

Vae mihi! Mater mea, quare genuisti me virum rixæ et discordiæ in universa terra? JER. XV, v. 10.

Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio cito; ne postea emendare non possis, cum dehonesteris amicum tuum. PROV. XXV, v. 8.

Fortis impetit in fortem, et ambo pariter considerunt. JER. XLVI, v. 12.

## DISCORDIA.

Ubi zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. JAC. III, 16.

Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, contentiones, amulationes, ira, rixæ, dissensiones, sectæ, etc. Qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt. GAL. v. 19.

## EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS.—Septimum locum inter carnis opera contentio possidet, quodam quasi sacro, et eminenti inter vitia numero collocata. Servum enim Domini non oportet rixari, sed esse mansuetum ad omnes, doctorem longanimum, cum mansuetudine audientem etiam eos, qui e contra disputant. S. HIER. in cap. v. ad Galat.

In discordia nemo benedicit Dominum. S. AUG. in Psalm.

Decet regalis apicis curam, generalitatis custodire concordiam, quæ ad laudem regnantis trahitur, si ab hominibus pax ametur. Quid enim est, quod Principem melius prædicet, quam quietus Populus, concors Senatus, et tota Republica morum honestate vestita? CASSIOD. Ep. XXII.

Summopere jurgia fuge; nam contra parentem contendere anceps est, cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum, maxime autem contra fratrum contentionem inire; nam absentem lædit, qui cum ebrio litigat. Idem.

Discordia est aliquorum diversio, quos prius amoris vinculum colligavit. ISID. *Ethym.*

Nulla spatia possunt satis esse discordibus, pacificis angusta abundant, dissitis moribus etiam spatiosa aretantur. S. AMBROS. de Patriarcha.

DAMNUM.—Qui incepto verbo rixam et discordiam ex fraterno corde provocat, quasi necessaria ultra modum emungens sanguinem elicit. S. HIER. in c. XXX *Prov.*

Perversæ mentes, si semel ad studium contrarietatis emerperint, sive pravum, sive rectum quid a contradicentibus audiant, adversus hoc responsionibus impugnant; quia cum persona per contrarietatem displicet, nec recta, quæ protulerint, placent. S. GREG. I. *Moral.*

Discordans et dissidens, et pacem cum fratribus non habens, secundum quod B. Apostolus et Scriptura testatur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissen-

sionis poterit evadere, quia, sicut scriptum est: Qui odit fratrem suum, homicida est. Quale delictum est, quod nec Martyrio sanguinis potest abluari. S. CYPR. de *Grat. Dom.* Nulla re amicitia facilius diluuntur, quam diversa animorum sententia. S. BASIL. Orat. 1. de pace.

Quid in nostra doctrina præstantissimum est? Pax, addam etiam utilissimum. Contra quid turpissimum et perniciosissimum? Voluntatum disjunctio. S. GREG. or. XX.

Audiant jurgiorum seminatores, quod scriptum est: Beati pacifici, quoniam Filii Dei vocabuntur; atque diverso colligant, quia si Filii Dei vocantur, qui pacem faciunt, procul dibent satanæ Filii, qui confundunt. Idem.

Lingua rixosa veneno est plena; quæ si non fuerit castigata, omnes suos socios perducet ad scandala. S. BERN. de *Modo bene viv.* s. XVII.

Contentiones et principio exiles quidem esse solent, et facile curantur; at procedente tempore auctæ, insanabiles omnino evadunt. S. BASIL. or. IX.

Infelix victoria est, quæ superans hominem succumbit vitio. S. BERN. s. ad mult.

Discordia aditus potius dispendii habet, quam utilitatis. S. GREG. in *Registr.*

Munus non recipitur, nisi prius discordia repellatur ab animo. Id. *super Ezech.*

## EXEMPLA CATHOLICA.

QUALITAS.—Josephi, Ægyptii Proregis, fratres non poterant ei quidquam pacifice loqui; ideo ille postea jam Prorex ab eis agnitus rediturus in patriam dixit: Ne irascimini in via; quasi diceret: Novi contentiosum vestrum genium; moneo proinde, ut caveatis a litibus, ne unio fraterna violetur, et gravia vobis per discordiam mala creentur. GEN. XXXVII, 4.

De Abrahami et Lot pastoribus testatur S. Scriptura: Facta est rixa inter pastores gregum Abrahami et Lot; erat quippe substantia eorum multa, nec poterant habitare communiter. GEN. XIII, 7.

Esau et Jacob in utero matris collidebantur, quod explicans Dominus consulenti Rebecæ dixit: Duæ Gentes sunt in utero tuo, et duo Populi ex ventre tuo dividuntur, populusque populum superabit, et major serviet minori. GEN. XXV, 12.